



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. clxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

qui voluerit panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangat, & singuli singulos bibere faciant, maxime ut ultra tertiam vicem poculum non contingant, & sic ad Ecclesias redeant.

Ne clerici, nec non viri religiosi, ante horam tertiam ineant conuiuia.

Cap. CLXV.

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia, neque aliquando clericos nisi hymno dicto edere panem, & post cibum gratias autori Deo referre.

Ex concil.
Cartha.
cap. 12.

De presbyteris ut hospitales sint. Cap. CLXVI.

Vt curam hospitem, maxime pauperum atque debili-
lium orphanorum quoque atque peregrinorum habeat presbyter, hosque ad prandium suum quotidie iuxta possibilitatem conuocet, eisque hospitium tribuant.

Ex concil.
Hænetē.
cap. 3.

De eadem re. Cap. CLXVII.

Vt autem omnis occasio rapinæ tollatur, volumus ut presbyteri qui bonum exemplum charitatis omnibus extendere debent, hospitales existant, iuxta dominicum & apostolicum præceptum, & humanitatem præbeant iter facientibus, quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo, angelis hospitio receptis. Et dominus in die iudicij dicentis: Hospes fui, & suscepistis me. Et Iob dicit: Ostium meum semper viatori patuit.

Ex eodē
cap. 5.

Ut presbyteri plebes suas ut hospitales sint admoneant

Cap. CLXVIII.

Placuit ut presbyteri plebes suas admoneant, ut ipsi hospitales sint, & nulli iter facienti mansionem denegent, & ut omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possint. Quod si carius vendere voluerint ad presbyterum transeuntes hoc referant, & illius iussu cum humanitate eis vendant.

Ex concil.
apud Ar-
uernas.

Ut cibus sacerdotum semper lectio diuina miscetur.

Caput CLXIX.

Pro reuerentia Dei & sacerdotum id vniuersa sancta synodus statuit, ut, quia solent crebro mensis otiosa fabula interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio

Ex concil.
Africa-
no. cap. 6.